



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Iacobus Intercisus M. 27. Novembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

mibi! exclamavit, nisi cum mente sanā
oculos etiam abstulit Venus, in hoc specu-
lo meum video vultum. Video planissime.
Sed, quod hic fuit: & verè ero non multo
p̄st, quod hic est. Verba hæc gemitus
interruperunt, lacrimis deinceps lo-
quentibus. Jamque patriā relictā solus
deslere incepit, quod cum multis pec-
caverat. Mox hujus etiam instituti so-
cios invenit, quos undique miraculis
accivit tenuitque. Namque, quos fiendo
ipse corrumpebat oculos, reddidit aliis
amissos: quamque bibebat aquam, vi-
num aliis non semel voluit esse. Deni-
que quid multis? rectè vivere à mortuo
didicit. *Ex Ferrar.*

Inclinemus nos, & oculos in sepulchra
deiciamus, & naturæ nostræ mysteria co-
gnoscemus. Confusos ac permixtos ossium
aceruos & calvarias carnibus exutas in-
tuebimur; hæc intuentes nos ipsos in illis,
tamquam in speculo, contemplabimur.
S. Ephrem. de Vita Spir.

S. IACOBUS INTERCISUS M.

27. Novembris.

IACOBUS inter proceres Persarum fa-
cile princeps, regique Isdegerdi unice
charus, ut huic fidem suam probaret,
Christo datam abjuravit, communi au-
licorum vitio abreptus, qui hodie
etiam quosvis mores in rege DEOSPUR-
rant,

A a a 4

744 VITÆ SANCTORUM. 27. Nov.
tant, & Deos adorant. At mater con-
juxque JACOBI, nobilis utraque &
Christiana matrona, non ferendum faci-
nus rata, literas dignas se ad eundem
scripserunt. In his & sinu mater & thala-
mo conjux proscribent. Neque enim
mater agnoscere aiebat se filium præter
eum, qui suo in vultu patris matrisque
vultum, hoc est, Christianum, ostende-
ret. Ubera sua si bibisset, spiraturum,
quam cum lacte instillasset pietatem. Sci-
re celo se filium genuisse, non terræ, qui
Superis bellum indiceret. Abortum
proinde esse, quem nunc Jacobum dice-
rent, ideoque abjicere hunc sese. At con-
jux desperare se de thori socio scribebat,
qui ipsam fidem adulterasset; nimi-
rum qui hanc frangere immortalis DEO
non dubitasset, mortali servaturum;
sanctamque castitatem habiturum, qui
Numina Venerem adulteram, qui vagum
Amorem coleret? Qui igitur & filium
& conjugem exisset, nomina quoque
tam splendida poneret, nec alius dici
quam esse vellet. Habuere momentum
literæ, amore dictante & lacrymis sug-
gerentibus atramentum scriptæ, rece-
pit meliorem mentem JACOBUS, pa-
lamque Christianum iterum se confes-
sus, novem horarum carnificina, ma-
nuum primò pedumque articulis, tum
brachiis surisque, ultimò capite trun-
catus atrum factum nuperum omni san-
gui-

